



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Seculum XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

virtutibus & literis navans operam: quibus accessit Carolus Serenissimi Lotharingæ Ducis filius Metensis Episcopus in Canonicorum Moguntinorum Album tum temporis relatus. Compendio dicantur multa. Quod belli & pacis tempore desiderari ultra poterat in Wolfgango, non erat: hostis enim cum nunc instaret cominus à Romana Ecclesia fugitivus, aut eminus in Hungaria Mahometanus, muneri suo Elector examuffim satisfecit. Interea prægravi senectute domi detentus in sua provincia, nihil non egit, ut Ecclesiæ, Imperii & suam causam ageret. Serarius Wolfgangi gesta clausit hac coronide: *Funebrem habuit concionem R. D. Ioan. Elgardus SS. Theologiae Doctor ejusdemque Principis Sacellanus. Multa de illo dixit, oculatus ipse testis, præclara. I. quod in ægritudine illa sua, cum quadragesimale ageretur jejunium, nulli aut Medico aut alteri carniæ esum suadenti cedere voluerit. II. Quod quotidianas Canonicasque preces omni omnino die, ne in lethali quidem morbo eas intermittendo diligenter precatus. Et hic memini Oratorem, justo quodam dolore commotum, in eorum teporem ac desidiam Clericorum invecum, qui nulla sepe aut levi certè causa domi vel foris, Officii statusque sui prorsus immemores, Sancto illi Sacrum precum debito non satisfaciunt, III. quod admodum demissè, magnòque cum animi dolore de peccatis confessus sit, idque audio, illum etiam solitum antea observare & à Confessario Patre, ut sese moneret, ac reprehenderet liberè, petere: peccatorem enim se esse, Dei vices illum sustinere. IV. Cum damni aliquid segetibus à feris inferri querelæ ad eum venissent: malo, dixit, ferinis perpetuò carere carnibus, quàm detrimento affici subditos. Diem suum obiit an. 1601. postquam sedit an. 19. sub Pont. Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII.*

SECULUM XVII.

LIX, IOANNES ELECTOR XLIII.

Joannes Adamus ex illustrißima Bikiorum stirpe germen nobilissimum Herbipoli & Moguntia mansuetioribus & severioribus instructus literis, Franciam & Italiam petiit, ubi ob corporis venustatem & præclaram indolem uno alteròve in hospitio

tentatus, vicit & triumphavit lacrymâs etiam detestatus lascivorum insidias. Moguntiam reversus, & an. 1595. Scholastici, ut appellant, officio honoratus, à perpetuis consiliis fuit Wolfgango Electori; ubi jam tum rem in Eychfeldia Catholicam promovit, & Heiligenstadiense Societatis JESV Collegium auxiliis firmavit eò loci Legatus missus. An. 1601. ætatis suæ 36. electus Archipræsul, quâ verbis, quâ factis sese præstitit cunctis pretiosissimum. Commodè an. 1602. promulgatum Jubilæum Electoris hujus monstravit exempla insignia: in æde enim sacra exhomologesi lustratâ conscientia, Deum Evcharisticum è sui Suffraganei manibus accepit, id facientibus Canonicis & civitatis primoribus, ac demum populo numerosissimo. Aliàs verò solenniori modo ad Aram ipse operatus, aut Processionum publicarum Ducem aut Comitem se exhibens, post se attraxit latè circumfusos populos, & quidem etiam Heterodoxos. In hos qualis fuerit Adamus, palàm ostendit disceptatio publica præsentè Christianissimo Rege & Electore hoc ab Ebroicensi Præsule simulque Calvinianorum coryphæo Plessio instituta: ejusdem enim disceptationis synopsis è Gallico in latinum idioma translata, ac nomini suo dedicatam tam magni fecit, ut detractò è digitis annulò pretiosissimo offerentem sibi devinxerit, palàm testatus, placere sibi maximopere argumenta adversus novatores proposita. Libros è contrario novis placitis infectos Vulcano consecrari, vel saltem removeri mandavit, & plurimos, nisi communia eaque sacra Romana præplacèrent, à Catholicorum mensis exclusos voluit. Zelum Electoris sui ardentissimum laudârunt maximè Comitatus Königsteinianus & Reineggensis, in quibus Catholica Religionis præclara jecit fundamenta, & Electorali sua præsentia, quò minùs se opponerent, absterruit Heterodoxos; excitavit verò ad constantiam Orthodoxos. Igitur nihil magis, quàm longè majorem inter vivos ætatem desiderârunt omnes boni in Electo-

re hoc, de quo dicebant, consumatus in brevi explevit tempora multa, 3. nempe annorum compendio vivis est ereptus an. 1604. sub Leone XI. Pont.

LX. IOANNES ELECTOR XLIV.

Joannes Schvvicardus perquam nobilis & antiquæ familiæ de Cronenberg decus, in Germanico Romæ Collegio virtutibus & literis juventutem exornavit. In patriam reversus ab Archipræsule Wolfgango constitutus est in spiritualibus Vicarius, à Metropolitanis verò delectus Scholasticus, dehinc Decanus, ac demum Archiepiscopus an. 1604. Inter Electores Moguntinos postremus fuit omnium, quos aliorum authorum potiùs, quàm suo testimonio celebratos nobis reliquit Serarius. Paucissima cur de eodem scripserit, causa fuit, quòd scribentem absterruerint & viventis Antistitis modestia, & Historicorum multorum regula, qua cautum sibi dicunt, ut non nisi mortuorum gesta scribant, ne adulationis incurrant notam. In compendiis etiam *ex ungue Leones* oportet cognoscere: tantus verò fuit Schvvicardus *Leo*, ut supremas in orbe *Aquilas* Rudolphum II. & Mathiam Augustos fratres sua potissimum autoritate denique conciliaverit. Eminus & cominus contra *Pseudoleones* in Bohemia indutus armis, inter Victores Principes meritò potuit numerari: eapropter à Christiano Brunsvicensi Duce post Pragensem cladem bello vexatus durissimè, Joannem Tillium suum laudavit liberatorem. Genuinos dein æstimare & promovere doctus *Leones* Schvvicardus, rejecto suâ etiam sententiâ Friderico Bohemorum seditiosorum antesignano, *Leonem Bavarum*, Maximilianum I. suo calculo elegit Imperii Dapiferum. Amicis igitur & *Aquilis* & *Leonibus* tutus atque securus, nec latum unguem cessit A catholicis, difficilia sanè passus tempora, ubi nimirum per annos 30. continuos bellum pro aris & focus à nonnullis Pseudo-Christianis, Heterodoxis, & Mahometanis

nis in id unum conspirantibus susceptum est, ut si non penitus solo æquare, saltem multis modis & machinis concussam intueri liceret Romanam Ecclesiam, aut Romanum Imperium. Annus Schvvicardo fuit ultimus 1626. Sedit itaque annis 22, unà cum Pont. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.

LXI. GEORGIUS FRIDERICVS ELECTOR XLV.

Georgius Fridericus de Greiffenclau ad Rhenum ex antiquo & perillustri sanguine natus, suis laude dignissimis gestis eundem maximopere exornavit: vestigiis enim Richardi avunculi sui prioris seculi inter Trevirenses Archiepiscopi præclare institit ab ineunte ætate, cum primùm Moguntia Canonici, mox verò Præpositus, dein Wormatiæ Episcopus, & demum Moguntia Archiepiscopus est promulgatus. Inter præclara opera Friderici numerandum venit Imperatoris mandatum, vulgo *Edictum Restitutorium* nuncupatum, quo Heterodoxi in Imperio Viri Principes restituere sunt iussi adempta Ecclesiæ jura & bona: unde natus est tumultus inter malæ fidei possessores maximus, jure belli ea sibi debere vociferantes, & ampliora desiderantes. Annis non nisi 3. Moguntinam rexit Ecclesiam Fridericus sub Pontifice Urbano VIII. an. 1629. jam mortuus, cui longius ævum optârunt non modò Viri clarissimi ex Greiffenclaviensium genere oriundi, atque inter Moguntinos celeberrimi, sed in Ecclesia & in Imperio omnes boni.

LXII. ANSELMVS CASIMIRVS ELECTOR XLVI.

Anselmus Casimirus Perillustrium Equitum cognomento Wambold de Umstatt dictorum insigne decus, inter totius Germaniæ hostiles strepitus est promulgatus, omine nequa-

quaquam fausto : patiendum namque & agendum fortiter eo ipso armorum strepitu dici ritè existimavit sibi, tanto tempore eris Antistes, quanto tempore ignis Martius Romanum turbabit Imperium. An. 1631. à Suecis Moguntia Coloniam auffugere compulsus, ex tristibus nuntiis intellexit Aschaffenburgum, Höchstium, Bingium, & Germershemium ab hostibus esse expugnata & occupata. Mox secutus nuntius prioribus tristior, cedentibus Hispanis Moguntiam etiam Suecis esse traditam, cives gravissimis tributis onerari, agrestem plebem Moguntino Archipræsuli subditam durissimè haberi: paucis multa, Heterodoxorum hostium arbitrio universas Moguntini Electoris ditiones esse relictas, referebat. Anno 1635. Moguntiam stratagemate liberaturi Duces Cæsarei & cives, incassum laborârunt tristissimo rei eventu: agrestium enim non nemo Secreti hujus conscius, & à Suecis interceptus, dum dolum aperuit, civium plurimis exitium peperit. Eodem tamen anno restituta Moguntia, anno tandem 1636. reducem ab exilio recepit Archipræiulem, qui eo ex tempore variam tulit belli aleam, nunc his nunc illis pressus hostibus, quos suis etiam intervallis distinxit Mars amicus, siqua tamen possit esse Marti sincera amicitia. *Nulla salus bello pacem deposcimus omnes*, creberimè exclamavit Anselmus, inter bella tamen mortuus an. 1647. Francofurti dum de pace Westphalica inter Imperii arbitros etiam ipse deliberavit an. Sedis 18. sub Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X.

LXIII. IOANNES PHILIPPVS ELECTOR XLVII.

Joannes Pphilippus perantiqui, & hodie per Europam universam clarissimi Stematis de Schönborn Lucifer, à primis suis incunabilis insignia dedit documenta, qua sit origine natus, & cui bono, nimirum per Ecclesiam & Imperium maximo sit educatus.

Pa-

Pacis Westphalicæ invito Pontifice unà cum viris Principibus multis subscribere coactus, ex malis plurimis elicuit etiam illud bonum, quo provinciam, Viam Montanam nuncupatam, & jam seculis duobus Palatino Electori elocatum, solutâ auri summâ gravissimâ redemit. Annis ab inita pace proximis pacis fructus ubique collegit, ut ditiones Moguntinas, quâ in Imperio universas ab hostibus convulsas consiliis & auxiliis restitueret. An. 1658. Ferdinando III. Cæsari justis persolutis, Leopoldum Imperatorem Francofurti coronavit, ubi simul lis inter Electorem Moguntinum & Coloniensem pridem de coronatione Cæsaris exorta, ea tandem lege est composita, ut si seculis venturis coronaretur Imperator in urbe Electoris Moguntini jurisdictioni subjecta, coronam Augusto imponeret Moguntia Elector; si verò urbs alia Coloniensi Archipræsuli subdita similem consequeretur honorem, coronâ Imperii Imperatorem exornaret Antistes Coloniensis. Si tandem urbs neutrius potestati mancipata coronando Imperatori idonea deligeretur, honore alterno gauderet nunc Elector Moguntinus, nunc Coloniensis. Discordias etiam Erfurdia ab aânis multis permolestas eo tandem sustulit fructu, ut privilegio libertatis Imperialis privatam penitus fecerit ditionis suæ, sola religionis libertate civibus relicta. Desidium dein inter Electorem Moguntinum & Palatinum de jure venationis motum facile discussit Philippus. Plurimis aliis tum Ecclesiæ, tum Imperij causis ritè componendis est adhibitus, Pontifici & Imperatori pretiosus Antistes, qui nullis difficultatibus absterritus crebrò dixit: *Dii laboribus omnia vendunt*, unde eiusdem aula glorioso nomine *Aula laboriosa* passim est nuncupata & laudata. Cùm verò post absolutos crebrò labores gloriosos adessent, ut fieri amat, adulatores aulici, cum stomacho quamprimum rejecit, dicere solitus: *non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. An. 1673. Sedis 27. agoni proximus inter alia multa notatu dignissima dicta illud non fuit postremum, quo pronuntiavit: *DEO, in cuius conspectu sto, notum est, quòd Ecclesiæ, Imperatori & Romano Imperio*

constanter servire amaram Sedit sub Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. & Clemente X.

LXIV. LOTHARIUS FRIDERICUS.
ELECTOR XLVIII.

Lotharius Fridericus ex Comitum de Metternich multis iisque clarissimis infulis, aliisque tum Ecclesiae tum Imperii nobilissimis insignibus exornata prolapia ortus, suis meritis maximis consecutus est Pastorale Pedum Spirae, Wormatiae & demum Moguntiae. Tantos honores & vitam diuturniorem invidisse Lothario visi sunt Galli, qui eodem anno 1673. quo lectus est Archipræsul, Aschaffenburgum occuparunt dolore Electoris sui maximo. Præfecturam etiam Bökelhemiensem cedere iussus ab Imperatore Electori Palatino, afflictionem tulit alteram. Tertiam addidit mors repentino apoplexiæ malo sternens Lotharium, cuius agonizantis ultima verba totius vitæ compendium & testimonium hæc fuere: *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Sedit an. 2. sub Clemente X.

LXV. DAMIANUS HARTADUS.
ELECTOR XLIX.

Damianus Hartadus Caroli Caspari Electoris Trevirensis Germanus frater, perantiquam familiam suam Baronum de Leyen non minus, quam alii plures vel infulis excelsi, vel togâ sagoque illustres decoravit. Eam igitur ob causam Wormatiae Episcopus electus, & Moguntiae Archipræsul creatus, plura præclaris desideriis, quam opere præstitit, non nisi 3. annorum Elector; quo temporis spatio Successoribus magnificam extruxit Moguntiae Sedem: cui proinde dixerunt mortuo: *Sic vos non vobis edificatis aves.* Multis suis egregiis factis, quorum ta-

men

men non nisi obscuram habemus notitiam, non propriam, sed divini Numinis gloriam scopum præfixisse ex eo conicere licet facile, quòd in agone ultimo nunquam non repetendum sibi putaverit illud, quòd Ecclesia Orthodoxa continuo repetit dicens: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Mors vivis eripuit an. 1678. sub Pont. Innocentio XI.

LXVI. CAROLVS HENRICVS
ELECTOR L.

Carolus Henricus de Metternich Lothario Friderico Moguntia Electori abhinc annis 4. defuncto sanguinis propinquitate simulque morum & studiorum conformitate conjunctus totidem, quot ille, vixit annos, an. ætatis 57. jam sepultus, decem mensium duntaxat Elector. De Ecclesia simul Moguntina & Trevirensi optimè meritum dixerunt præsertim Canonici illi, qui primò utriusque Ecclesiæ custodem, mox verò Moguntia, ut vocant, Chori-Episcopum, & demum Archipræfulem elegerunt. De Imperio non minùs optimè meritum dixit testis maximus Leopoldus Imperator, qui Carolum hunc ob varias legationes laudatissimo modo obitas, & præclara alia in Republicam merita Imperii Comitibus annumerandum censuit. Cæterùm quantam Elector hic fiduciam in DEum conceperit, verbis propriis instar Symboli ftequenter adhibitis manifestavit, dum dixit: *spe fretus divina, saltando superabo mœnia*. Saltus tamen aut lapsus immaturus nimis præcipitem egit in sepulchrum an. 1679. sub Innocentio XI.

LXVII. ANSELMVS FRANCISCVS,
ELECTOR LI.

Anselmus Franciscus ex clarissima familia Rhenana de Ingelheim mundo natus, in Moguntina æde Cathedrali diversos contendit honorum gradus, quos inter Archipresbyteri

byteri non fuit postremus. Erfordia exinde urbi Administrator datus, multis virtutibus suis amplius illustravit alias jam præclarum nomen. Creatus denique Moguntia Elector inimica sustinuit fata, primò intentata, & mox inflictà à Gallis Germanorum hostibus, à quibus Sedem relinquere suam coactus, Erfordiam aufugit, ubi per annum commoratus inter spem metumque hæsit. An. 1689. à Cæsareis copiis Solio suo restitutus, venit inde Augustam Vindelicorum, ubi coronis regis Augusta Capita, nimirum Josephum Romanorum Regem, & huius Genitricem Eleonoram Magdalenam exornavit, rebus multis aliis in Imperii emolumentum ibidem compositis. Annis reliquis unum, quin & alterum sibi delegit Adjutorem, quorum primus Ludovicus Antonius Dux Palatinus in flore ætatis an. 1694. est defunctus, singulari Moguntinorum, Wormatiensium, & Leodiensium, quibus jam prius Episcopus præluxit, luctu ac mærore. In huius igitur locum vocavit sibi in officio arduo Adjutorem, quem etiam hodie demississimè veneramur Lotharium Franciscum, cui Anselmus post Sedis annos 16. an. 1695. quævis in terris reliquit onera, & munera. Sederunt Pontifices Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII.

LXVIII. LOTHARIUS FRANCISCVS ELECTOR LII.

Lotharius Franciscus inter sydera Schönbornensia, ut ita dicamus, in cælo Ecclesiæ militantis, & Imperii Romani pugnantis ac certantis, jam pridem, hodièque lucidissima, Ecclesiam Bambergensem an. 1693. majori suo lumine cœpit illustrare, lectus eodem tempore Episcopus. Idem anno, uti dictum superius. 1649. Moguntino Archiepiscopo Coadjutor, ut vocamus, exoptatus perbene, an. 1695. extincto Anselmo Electore tanquam clarissimo lumine inter primæ magnitudinis sy-

K

dera

dera in Ecclesia & Imperio quaquaversum suos emisit radios, domi forisque, eminus & cominus, consiliis & auxiliis potentissimus. His paucissimis lineis, hoc aliisque huic similibus locis contentus, de vivis haud pergam scribere; calamum tamen non excutiam, sed atramento, aut meliùs, colore pretiosissimo servabo plenum tempori, ut nimirum posteri post fata Lotharii aliorumque Virorum Principum unà cum pictoribus egregia mortuorum facta possint scribere, & pingere literis aureis. Interea vivis vitam optare longissimam, sit inter prima Historici desideria, utpote in cuius votis sint Virorum Principum non tam fata ultima, quàm facta optima.



Præ